



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. VII. Ad ea tempora transitur, quae Vari casum excepere. Dubium, an, inter puniendos, Caucum populabundus adierit Tiberius. Quippe dubium, an Cauci rebellantem foverint, ope lata, Cheruscum. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13007**



populos ac interrupta ditio. Sic enim libro VI. Variana repræsentaturus inquit: *Loca quædam Germaniæ Romani tenebant, non simul, sed ut fortè subacta fuerant, hinc inde.*

## C A P. VII.

*Ad ea tempora transitur, quæ Vari casum excepere. Dubium, an, inter puniendos, Caucum populabundus adierit Tiberius. Quippe dubium, an Cauci rebellantem foverint, ope lata, Cheruscum. Fortè justitia majorem, quàm libertatis, habendam censuere rationem. Herois Arminii generosa facinora violata labe fidei depreciari. Legionum vexillarii præsidium in Caucis agitantes. In commilitii decus adscitus à Germanico Caucus. Veris se metiri spatiis operum bellicorum gloria nescit. Inter pompæ fercula Visurgis, sed non quæ noster. Cur exosus Tiberi Visurgis. Natio Chaucidis, Ampsanus triumphabundi pompam auxisse Germanici videtur. In arma tractus à Bruëtero vicino. Prælium cum Bruëteris, in Dollartio lacu, commissum. Ludibria moventis in Germanum Caligula. Chaucii cognomentum Gabinio Claudius indulgit. Corbulo Cauco gravis. Insidiis mandato consilio, Caucorum sustulit è medio Gannascum. Ad deditioem Majores invitavit. Claudii litteris ab experiunda prohibitus fortuna. Qui triumphalia, quamvis bello negato, destinationibus ejus ornamenta concessit. Abscessu Romanorum ferocior Caucus, consines exturbavit è sedibus suis Ansibarios. Insecuti Claudium principes dominandi suis, quàm externa laceffendi, cupientiores. Inter Batavi Civilis auxilia Cauci. Inhiabat è Germania deportanda laurea Domitianus. Ejus in Cattos expeditio. Trajano principe, quieta res Caucia. Sub Antonino*



*Antonino Philosopho consulatum Didio Iuliano peperit, averruncatus ab infestata Belgica Caucis. Pars Caucis barbarorum, qui totiens indignante Rhenum transsiluere Romano. Coërciti à Maximiano. Devenitur ad fatifcentis, & sensim expiratura tempora Roma. Quæ duces nacta decrementi Magnum Constantinum. Imperante Iuliano, missus à Saxonibus in Romana Caucis. A Stilicone pacatus. Pater Theodosii Saxonicus appellandus.*

**N**unc ad ea gradum proferre tempora conamur, quæ ulciscendo per Varum accepto dedecori Romanus impendit. Et exercuit quidem Arminium ilicet à vitrico missus in Germaniam Tiberius, penetravit interiùs, aperuit limites, vastavit agros, ussit domos, obvios fudit, & incolumes ipse reduxit in hiberna numeros. Sed, cùm affirmare non sustineam, Caucis sociales addidisse copias Cherusco, illud quoque scire vetor, an victi senserit iras & arma resurgentia Romani. Forfan in eo fluctuantium æstu conterminorum, qui bellum integrum pace potius haberent incruenta, Caucis, justitiæ famigerati reverentiâ, libertatis imminutæ dehonestamentum fidei pactorumque posthabuere sanctitati. Nam licet Arminii cœpta non popularium modò, sed hostium quoque stupefcentem promerita sint admirationem, tamen, ut pleraque mortalium operum magnifica nonnullam trahunt



ex iniquo labem, animosiora fuisse, quàm iustiora videntur. Strabo, libro septimo, quo loco Germanis perfidam parendi dedignationem exprobrat: Πρὸς ἑς, inquit, ἢ μὲν ἀπίστια μέγα ἄφελος· οἱ δὲ πισυθέντες τὰ μέγιστα κατέβλαψαν, κατὰ τὸ οἱ Χηρῆσκοι, ἔοικόν τινι ὑπὸ ἡχοῖ· παρ' οἷς τὰ τετρατάμισμα Ἰωμαίων μετὰ τὸ στρατῶν Οὐάρον Κεϊνέλιον ὠδραπονδήθεν ἀπώλετο ἐν ἐνέδραις. Id est, *Adversus quos plurimum utilitatis est in incredulitate: quibus fides habita est, ii maxima damna intulerunt: ut Cheruscii & eorum obsequia professi, apud quos tres Romanae legiones cum duce Quintilio Varo contra datam fidem insidiis circumventae perierunt. Iterum: Arminii & πολεμαρχήσαντι ἐν τοῖς Χηρῆσκοις ἐν τῇ περὶ Οὐάρον Κεϊνέλιον ὠδραπονδήσιν. Id est, Arminii qui belli dux fuerat Cheruscis, cum violatis pactis Varum Quintilium invaderent. Tum de poena: Ἐπίσαν δὲ δίκαις ἀπάντες, καὶ παρέχον τὰ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπερῶτατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθεομαρβόθη τὸ ἐπιφανέστατων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν. Poenas tamen universi dederunt, ac Germanico juniori pulcherrimam triumphi materiam, in quo is illustrissimos viros ac feminas duxit. Sanè λαμπερῶτατον θρίαμβον insultaverit in speciem Cherusco: at, si Geographum audimus, insultavit infido, & sacramenti non movendam exuenti violantique religionem. A quo mei tunc temporis abhorruere Cauci: quamquam profectò non semper tam rigidi fuerint æqui juris exactores, ut non & ipsi profligave-*

fligave-



fligaverint invisos subinde rectores, quemad-  
 modum in cursu patescit institutæ dissertatio-  
 nis. In quo pergimus. Annal. I. memoran-  
 tur *in Chaucis presidium agitantes vexillarii tu-*  
*multuantium ab Augusti excessu legionum:*  
 qui, admonitu consilii Drusini, riparum præ-  
 erant incumbébantque tutelæ. Annalium I I.  
 fossam, cui Drusinæ nomen, ingressum lego  
 Germanicum, *precatumque Drusum patrem,*  
*ut se eadem ausum, libens placatusque exemplo ac*  
*memoria consiliorum atque operum juvaret.* Sed  
 hac quidem expeditione nequaquam fuisse  
 Chaucida perterrefactam, & anteeuntia mani-  
 festant & insequentia. Anteeunt ista: *Chauci,*  
*cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti*  
*sunt.* Insequuntur: *à Chaucis inter auxilia Roma-*  
*na agentibus.* Tum irato mari, & invisa tergo  
 transportare bella renuente, *hostilibus circum lit-*  
*toribus, sola Germanici triremis Chaucorum terram*  
*adpulis,* tanquam amicam videlicet, neque cla-  
 dem undarum terrestri sævitia geminaturam.  
 Idem Germanicus fufis Arminianis ac cæsis,  
 laudato pro concione victore exercitu, conge-  
 riem struxit armorum, elogio prælustri super-  
 bientē: **DEBELLATIS INTER RHE-**  
**NVM ALBIMQUE NATIONIBVS E-**  
**XERCITVM TIBERII CÆSARIS EA**  
**MONIMENTA MARTI ET IOVI, ET**



AVGVSTO SACRAVISSE. Foeta gloria verba, & rerum gestarum supergredientia modum, quæis tamen haud inferiora reportavit idem à Cassiodoro Tiberius, cum in Augusti decus inibi sollicitudinè inque bellaret: *C. Asinio Gallo. C. Marcio Censorino Coss. inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti.* Attolli enim gaudet inflarique Martiorum operum tumor. Tacitus ad annum U. C. DCCCLXX. *Germanicus Cæsar ad VII. Kalen. Iunias triumphavit de Cheruscis Chattisque & Angrivariis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt.* Haud verò Caucum reor Cæsare triumphante Germanico, vinctas spectaturienti cervices ostendisse Romæ. Quid enim ostenderet, in quem ferrum non strinxerat ulturus excidium legionum Imperator? Quid ostenderet, qui in commilitium adscitus, & inter auxilia Romana agens, ex parte currum Cæsari poterat imputare triumphalem? Vereor interim, ne traductus sit inter pompæ fercula Visurgis, duplicis Cauci divisor amnis. Nam vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum. Erat autem plurima causa, quæ Tiberim obstrepenti redderet infestum infensumque Visurgi. Vellejus: *Amnis, mox clade nostra nobilis, transitus Visurgis.* Tacitus: *Postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit. Cæsar nisi pontibus præ-*  
*sidiis-*



fidis que dare in discrimen legiones haud imperato-  
rium ratus, equitem vado transmittit. praesumere Ster-  
tinius, & è numero primipilariū Aemilius, distan-  
tibus locis inveci, ut hostem diducerent. quā celerrim-  
us amnis, Cariovalda dux Batavorum erupit, &c.

Tūm & campus Idistavifus, in quo laurea na-  
ta capiti Cæsaris est, inter Visurgim medius  
sinuabatur & colles, prout fluminis ripæ cede-  
rent, aut montium prominentia resisterent.

Sed admodū nihil attinet vereri: triumphatus  
à Germanico Visurgis est, non quā Cauco, sed  
quā Cherusco fluit. Solus è gente nostra vide-  
tur in ejus pompæ venisse communionem Amp-  
sfanus, si tueri se queunt ab incertitudine, quæ  
libro I. cap. III. sunt de eo prolata, Chauciæ  
gentis implente nationem.

Strabo: Καὶ ἄλλα ἢ  
σώματα ἐπομπὴν ἐκ τῶν πεπορθημένων ἐθνῶν, Καθύλων καὶ  
Ἀμφάνων, Βυκτέρων, Νεσίπων, Χηρόσκων, Χάτων, Χαλ-  
ταρίων, Δάνδων, Σαβατίων. alique sunt in pompa  
traducti mortales ex devastatis populis, Cathyl-  
cis, Ampsanis, Bucteris, Nusipis, Cheruscis,  
Chattis, Chattuariis, Landis, Subattiis. O-  
mne punctum ferant, qui pro Βυκτέρων legere  
Βρυκτέρων amant. Etenim, consensu vicini po-  
puli in arma tractus Ampsfanus, fati sui ducem  
pari secum clade multatum & obprobrio vi-  
dit. Habuerat autem diu Bructeri libertatem  
Romanus adversam: unde jam antè ἐν τῷ Ἀμψι-



σία Δρῆς Ὁ Βρυκτέρες κατεναμάχησε. *in Amasia Bru-*  
*cteros Drusus navali praelio vicit.* In lacu Amasia-  
 no, qui, nunc vastior immaniórque, *den Dol-*  
*laert* audit, eo decertatum prælio ferunt: hoc  
 verò sequestrante, noster à Bruçtero disclude-  
 batur Ampfanus. Ac talis quidem, fatigante  
 Romanam Tiberio, res Caucia fuit. Caligulæ  
 principatui breves efferata tyrannis annos de-  
 dit. Ac tentatæ quidem Germanidos ille glo-  
 riam concupivit; sed Caninefatis quoque Bri-  
 nionis pater *multa hostilia ausus, Cajanarum ex-*  
*peditionum ludibrium impunè spreverat.* Histor. IV.  
 At Claudius ab interitu fugitivum retrahendo  
 morem, quo victæ gentes extendere ducum  
 victorum nomina solebant, Gabinium Secun-  
 dum Chaucii superbire cognomento permisit.  
 Suetonius cap. XXIV. *Gabinio Secundo, Chaucis,*  
*gente Germanica, superatis, CHAUCIVS co-*  
*gnomen usurpare concessit.* Est verò rationis alu-  
 mina Levini Torrentii commentatio, qui de  
 Gabinii victoriis, nulli cognitis alii scriptori,  
 minimè sibi liquere pronunciat. Etenim, quæ  
 contra Caucos agitata sub Claudio fuere, Do-  
 mitio cuncta Corbuloni tribuuntur. Dio l. LX.  
 Γναί Ὁ Δομίτιος Κορβέλων, ἐν τῇ Κελτικῇ στρατηγῶν, πᾶ-  
 τε στρατὸς μάλιστα σικερότησε, καὶ τῶν Βαρβάρων ἄλλας τε καὶ ἄλλας  
 ἐκάλει Κωχῆς ἐνάκωσε. I. e. *Cn. Domitius Corbulo*  
*in Germania exercitui præfectus, milites exercuit,*



ac barbaros, imprimis autem Chaucos, vexavit. Corbulo Caninefatem Gannascum, quo duce Chauci, nulla dissensione domi, & morte Sanguinii alacres, Germaniam prædæ habuerant inferiorem, doli machinator evertit: Corbulo Majores Chaucos ad ignavam pellicere deditioem, dein motis, cæde Gannasci, mentibus ultro materiem addere rebellionis est annixus: denique Corbuloni, castra jam in hostili solo molienti, litteræ sunt à principe redditæ, quæ adeò novam in Germanias vim prohiberent, ut referri cis Rhenum præsidia juberent. Annal. x i. Quantopere verò Cæsar magnitudinem viri, simulque Chaucidis impetitæ consilia suspexerit, eo licet intelligere potissimum argumêto, quòd *insignia triumphi indulsit, quamvis bellum negavisset*. At amoto trans Rhenum præsidario milite, læti temporum gloriâ Caucci, quòd jam non ampliùs, ob indita sibi frena, gemebundi Visurgis & Amasia fluerent, finium videntur affectasse prolationem, ac, prout inter obsequia fortunæ non satis cauta mortalitas est, injuriosi nonnunquam in collimitaneas exstitisse nationes. Hinc, sub extrema tertii decimi Annalis, quamlibet invitis, illa sunt agnoscenda nobis: *Eosdem agros Ansi-barii occupavêre, validior gens non modò suâ copiâ, sed adjacentium populorum miseratione: quia pulsi*



*à Chaucis & sedis inopes, tutum exilium orabant.*  
 Neronem Urbe perpetente, quietæ res in Germania fuerunt, usque adeò uti continuo exercituum otio fama differretur, jus in hostem ducendi legatis ereptum. Mota sunt tamen eo principe nonnulla, sed quæ penitus inconcussam Chaucida reliquere. Regnaturientes Galba, Otho, Vitellius, dum atrocibus inter se præliis irisque committuntur, hostibus magnarum rerum præbuerunt occasionem, haud defuturis ultioni, cum populum Romanum non intermissa bellorum civilium series & domestica mala frangerent. Hinc erectus in spem Civilis, inter complures, secum palam, aut voto stantes, armatum lætabatur in partes concedere Caucum. Imò, quanquam acie victus à Cereali, non tamen invalidus habebatur, *flagrantissima cohortium suarum integra: quæ ex Chaucis Frisisque composita, Tolbiaci, in finibus Agrippinensium, agebat.* Histor. i v. Idem qui paullò antè censebat oppetiundas *Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractæ Pop. Rom. vires obliterentur.* Et iterata deinde *Civili Chaucorum auxilia venire.* Histor. v. Post Vespasianum, Titumque, Flavioꝝ tertius ambitiosissimè Germaniâ provocatâ seculum illustrari suum cupiit. Eusebius Pamphilus in Chronico Canone,  
 Numero



Numero M M C III. Δύο μῆνες μελωνομάθῃσι, Σεπτεμβριος Γερμανικός, καὶ Οκτώβριος Δομιτιανός, ἀπὸ τῶν νίκων ἐν αὐτοῖς καὶ Γερμανῶν τῇ Ρώμῃ ἐνεχθῆναι. Id est, Duo menses aliter appellati, September Germanicus, & October Domitianus, ob victorias, quas Roma, currentibus illis, reportare de Germanis contigit. Numero M M C V II. Δομιτιανός ἐπὶ τῶν ἐθνῶν Ἰταλῶν καὶ Δακῶν καὶ Γερμανῶν. Domitianus de Dacis & Germanis triumphavit. Missâ verò ceterâ Germaniâ, duntaxat homoriam Cattida, Suetonio referente, fulmen illud, si tamen fulmen, Capitolini Iovis afflavit. In vita Domitiani cap. VI. Expeditiones partim sponte suscepit, partim necessario. Sponte in Catos. Rursus eodem: De Cattis Dacisque post varia praelia, duplicem triumphum egit. Trajano disjunctissima Orientis edomare regno conante, Chauci in decoræ pacis conquievêre sinu. De Adriani temporibus, & Antonini Pii, admodum mihi nihil occurrit, altum sibi silentium scriptorum indigente senatu. Marco Aurelio Antonino Philosopho res est visa trabeâ digna consulari, restitisse Belgicam infestanti Caucho. Æ. Spartianus de Didio Iuliano: Aedilitatem suffragio Marci consequutus est. Prætor ejusdem suffragio fuit. Post præturam legioni præfuit in Germania vicesima secunda primigenia. Ibi Cauchis Germania populis qui Albim fluvium accolebant, erumpen-



tibus restitit, tumultuariis auxiliis provincialium: ob quæ consulatum meruit testimonio Imperatoris. Post Aurelium, Didiúmque, nostratium peculiarem deserendo commemorationem, iterum hiulca fatiscit historia. Nam de eo quidem nulli dubitamus, quin censerí in ejus parte barbariæ debeant, quæ subsequentiúm intestina dimicatione sollicitata tyrannorum, totiens Rhenum vel gelu rigentem, vel liquidum, campisque superfluum, minacibus impetere signis, ac sæpe vilitationibus, sæpe directa acie pugnare, sæpe repentinis eruptionibus incertos spargere fuit ausa terrores. In quem finem, corrasis undecunque testimoniis fastidientes implere paginas, ignobilis operæ foret, ipso tamen Cauci nomine Panegyricus superbit, Augusto Maximiano dictus, in quo Gallia: *Arat ergo nunc mihi Caucasus & Frisus, & ille vagus, ille predator, exercitio squalidus operatur, & frequentat nundinas meas core versali, & cultor barbarus laxat annonam. Quin etiam, si ad delectum vocetur, accurrit, & obsequiis teritur.* Pro *Caunus*, quod evulgati præ se codices ferunt, rescribendum *Caucus* est. Nam de *core versali* advocacionem censeo petendam, ut deliberemus. Hactenus eorum temporum emensi spatia sumus, quibus utcunque mole sua res Romana stetit, cum adhuc vitia ipsa sua, viresque suas regere non



non nesciret: nunc ea cursim evolvemus, quibus, oneri cedente fortuna, non aliter quàm follet terra ventis aut aquis subter immisissis, intervulsa sui soliditate, nutare, ita cuncta Italia atque ipsa Roma subducta repente, quâ sustentata fuerat, Orientis & Occidentis unione, contremuit, donec penitus, ævo deponente, confedit. Eas vices Magno Constantino referat acceptas, qui summam imperii, quod debendi reum propugnator acerrimus habebat, pro numero liberorum in plures discindendo portiones, succedentium temporū mæstitiæ prælusit, Εὐ οἷς (Zosimum libro I. legis) ἡ τῶν Ῥωμαίων δόξα καὶ βαρῶν βαρβαρωθεῖσαι εἰς ὀλίγην π. ἐ αὐτὸ Δι. φθαρεν, πειρίση. Id est, *Quibus Romanum imperium paulatim ad barbariem quandam redactum, exiguam ad magnitudinem, eamque planè labefactam decrevit.* Hic verò Zosimus redivivam cum fortitudinis admiratione, reduxit in scenam Caucii per complures annos intermissam appellationem. Libro III. Iuliani rebus immorante: Πάντων ἤ, ὡς εἰπεῖν τῶν αὐτότε βαρβάρων ἀπογόνων ἐλπίδι πάσης, καὶ ὅσον εἰδέτω τὸς ἐπὶ πειλελειμμένους ἀπολείασι πανωλεθεία. Προσδοκησάντων, Σάξονες, οἱ πάντων δὲ καρτερώτατοι τῶν ἐκείσε γυνομένων βαρβάρων, θυμῶν ἐρώμη, καὶ καρτερία, τῆν πειλίαις μάχαις εἶναι νομίζοντες, Καύχας (sic enim pro Κεάδης, pridem eruditissimis repositum viris est) μείραν σφῶν ὄντας εἰς τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων κατεχομένην ἐπέμπεσαι γῆν· οἱ ἤ. ὑπὸ Φράγκων, ὁμόρωται.



ρων αὐτοῖς ὄντων, καλυόμενοι Δαδύωα, δὲ ἔ μὴ τῶ Καί-  
 σαρι δέναι δικαίαν αἰτίαν τ' κατ' αὐτῶν αὐτῆς ἐφόδου,  
 πλοῖα ναυπηγησάμενοι, καὶ Δαδύωα τὴν ὑπὸ Φράγκων  
 ἐχρησθέντα ὑπὸ βαλδύμοι γὰρ, ἐπὶ τὴν ὑπὸ ἡγετον Γωμαίοις  
 ὤρμηθησαν. καὶ τῇ Βαλαδία παρεχόντες, ἡ δὲ ἄρα ἡζό-  
 μοι ὁ Ρῶμοι νῆσον ποιεῖ, πάσης ποταμίας μείζονα νῆσον,  
 τὸ Σαλίαν ἔθνη, Φράγκων ἀπόμειρον, ἐκ τ' οἰκείας χώρας  
 ὑπὸ Σαζόνων εἰς ταυτὴν τὴν νῆσον ἀπελαθέντες, ἐξέβαλον.

*Id est, Omnes jam in iis locis barbari spem omnem  
 abjecerant, tantumque non ad internecionem peri-  
 turas existimabant suorum reliquias: quum Saxo-  
 nes, omnium eas regiones incolentium barbarorum  
 & animis & corporum viribus, & laborum in pra-  
 liis tolerantia, fortissimi habiti, Cauchos, gentis  
 suae partem, in Romanorum solum emittunt. At  
 finitimis Francis transitu eos prohibentibus (qui me-  
 tuebant, ne justam Caesari causam praeberent sese  
 rursus invadendi) navibus constructis, Rheeno prae-  
 vecti parentem Francorum imperio regionem, in  
 Romani juris solum contenderunt: & adpulsis ad  
 Bataviam navibus, quam bipartito divisus Rhenus  
 insulam efficit, quavis insula amnica majorem, Sa-  
 liorum nationem, Francorum partem, vi Saxo-  
 num in hanc insulam suis e sedibus rejectam, expu-  
 lerunt. Deinceps, interposito lustrorum ali-  
 quot intervallo, decantatum Claudiani versi-  
 bus est, in prima laudum Stiliconis Panegyri,  
 non indignante Cayco, seu Cauco, pascere  
 Belgam pecus, ac per alveum ingressa me-  
 dium,*



dium, armenta Gallica montes pererrare Francorum. Idem Claudianus:

— *Pacem implorantibus ultrà*

*Germanis responsa dabat, legesque Caycis.*

Adulatus verò Seniori Theodosio Latinus Pacatus, patrem ejus, ob *Saxonem bellis navalibus consumtum*, SAXONICI censet attollendum titulo fuisse: *An si ejus seculo mos ille vixisset, quo Romani duces, Macedonici, Cretici, Numantini, de vocabulis gentium subactarum adoptivum insigne sumebant, nonne hodie pauciora in Annalium scriniis, quàm in vestra domus titulis cognomenta legerentur? Quum ipse SAXONICVS, ipse SARMATICVS, ipse ALEMNICVS diceretur, & quantum tota republica haberet hostium, tantum unica familia ostenderet & triumphorum.* Post Theodosios, id est, quinto ab orbe, per Christum restituto, seculo, involutus planè, cum plurimo vicino, Saxonis ac Frisii vocabulo *Caucus*, increpat ulteriora tempora scrutaturos. Dehinc tria ista ternis extricanda disertatiunculis crunt, *CVR INVASERIT CAUCVM ROMANVS, CVR VICE- RIT, CVR RELIQUERIT.*

### C A P. VIII.

*Cur invaserit Caucum Romanus. Bellatores in armis jus ferre. Praeunte distinctioni Polybio, singulatim pertractantur.*